



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Neque peccatum, neque permißionem illius esse effectum
prædestinationis. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Neque peccatum, neque permissionem illius esse effectum
prædestinationis.

Nullus est Catholicus, qui ignoret, peccatum non esse effectum prædestinationis, etiam si prædestinatus occasione ex eo sæpius capiat suę salutis. Nam cum Deus causa peccati esse nequeat, ut contra Lutherum desinitur, in Conc. Trid. sessione 6. canone 7. & nos latius ostendimus 1. 2. qu. 79. i. artic. 1. efficitur, ut Deus peccatum nulla ratione prædestinare possit. Non solum autem peccatum ipsum quatenus rationem malitiæ moralis habet, non potest se effectus prædestinationis; sed neque actus ipse peccati secundum esse naturale; nam quamvis hoc modo sit effectus diuinæ voluntatis, quem in tempore producit; inter prædestinationis tamen effectus connumerari non debet: sola enim opera gratiæ per Christum, ut infra dicemus, prædestinationi adscribenda sunt: actus autē illi non est opus gratiæ. Deinde eadem ratione, qua permissio non est effectus prædestinationis, ut illico videbimus, substantia etiam actus peccati esse nequit. Caterum peccata etiam secundum rationem malitiæ moralis obiecta sunt, seu materia, circa quam diuina prædestinatio, versatur eo modo quo versatur poenitentia. Commissio enim semel peccato, præparat Deus in præcipientia sua vocationem, qua tangat cor hominis, ut ad poenitentiam eum conuertat, atque ipsa peccatum detestetur.

Peccatum etiam secundum esse naturæ, non est effectus prædestinationis. Concilium Trident.

8.

Esse potest materia, circa quam etiam ratione malitiæ.

De permissione peccati confirmans aliqui, Ratio eorum.

S. Thomas, Anselmus.

De permissione vero peccati nonnulli arbitrantur esse effectum prædestinationis, atque hac ratione id probant. Deus vult, & decernit aeterna sua providentia permittere peccatum, licet non decernat facere: ergo illam permissionem in prædestinatis velle potest ad hunc finem, ut ad vitam æternam conducat, sicut re ipsa interdum conducere solet: quicquid autem Deus vult propter hunc finem, & re ipsa cōducit ad illum, est effectus prædestinationis: ergo permissio etiam peccati erit effectus illius. Porro eam conducere ad illum finem colligitur ex illo ad Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, iuxta expositionem S. Tho. & Ansel. qui dicunt diligentibus Deum, etiam peccata in bonum cooperari: Quamvis igitur peccatum ipsum non sit effectus prædestinationis, erit tamen eius permissio, quæ diligentibus Deum cooperabitur in bonum.

Verum hæc sententia nullo modo probanda est: primum, quoniam secundum Aug. lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 10. prædestinatio, de qua hætenus disputauimus, est donorum gratiæ præparatio, & ita nihil sub effectum prædestinationis cadit, quod non sit donum gratiæ Dei per Christum, ut disp. 9. i. cap. 3. & 10. prosecuti sumus: permissio autem peccati non est donum gratiæ Dei; imo uero est negatio illius: eo namque dicitur Deus permittere peccatum, quod negat auxilium gratiæ congruentis, quæ peccatum impediret: quis autem dicat, hanc negationem gratiæ donum Dei esse ex meritis Christi, & passione ipsius profectum, etiam si Deus misericordia sua ex peccato, quod permisit, bonum eliciat permissio igitur non est effectus prædestinationis.

Deinde etiam si permissio peccati esset effectus gratiæ Dei, non poterat ioter effectus prædestinationis recenseri: nam, ut aliquid sit effectus

9.

*Secundo re-
solvitur.*

ctus

aliis effectibus usque in finem vitæ, ut in ipsam glorificationem effectum habeat, An vero ita continuari cum aliis debeat, ut non interrumpatur peccato aliquo, seq. cap. disceremus. Quare, ut vocatio aliqua, vel consensus ex illa sit effectus prædestinationis, non debet intelligi, in eodem instanti secundum rationem ita esse in prædestinato, vel à Deo præparari, ut tunc in ipsam beatitudinem aliquid efficiat, sed satis est, si deinde ita cum aliis re ipsa continetur, ut omnia simul auxilia in beatitudinem operentur.

Instantia vero rationis secundum causam, & effectum, & iuxta ordinem rerum inter se in ipsa quoque prædestinatione assignari debent, ut primo intelligatur à Deo præparari vocatio ad fidem, deinde consensus, & ipsa fides. Denique per singula opera, prout iustificationem ipsam ordine causalitatis præcedunt, idem ordo seruandus est; namquam tamen secundum diuersitatem, & successione temporum hæc instantia sunt assignanda. Atque omnes effectus in vniuersum ad duos reducere possemus. Duo enim sunt, quæ gratia in nobis operatur; vnum sine nobis, quales sunt vocationes, quæ sunt gratiæ præuenientis, & operantis; alterum vero nobiscum, quales sunt consensus, quos ipsi vocationibus per singula opera præbemus; & ad gratiam cooperantem, & comitantem pertinet; quibus duo instantia rationis propter ordinem causæ, & effectus debent constitui. Deinde per quatuor alios effectus præcipuos hi duo diuidendi sunt, nempe per fidem, iustificationem, perseuerantiam, & glorificationem; quare in singulis horum per varia opera adhuc duos illos præcipuos, nempe vocationem & consensus oportet multiplicari. Instantia tamen rationis ex solo ordine causæ, & effectus inter res ipsas debent constitui, ut disput. 28. cap. 3. ostensum est.

Ex quibus colligitur id, quod initio dicebamus, nimirum, ut effectus aliquis prædestinationi adscribatur, necessarium non esse ut in eodem instanti, in quo prædestinatur, proxime habeat effectum in beatitudinem, sed satis esse, si cum serie aliorum ad illius consequutionem aliquo modo operetur: alioqui si in eodem instanti deberet proxime circa illam effectum habere, possemus dare causam prædestinationis. Nam primus effectus illius in nobis esset, in gratia perseuerare, hoc est, ultimo aliquo bono opere vitam in gratia finire. Huius autem dari potest causa, licet non totius perseuerantiæ, quæ à primo auxilio post iustificationem sumenda est: etenim oratione facta ex auxilio gratiæ obtinere à Deo possumus iustificationem, deinde cursum vitæ in gratia iustificationis peragere. Aduerendum tamen est, non minus fuisse Patres sollicitos de gratia, quæ datur reprobis, quam de ea, quæ datur prædestinatis, & tandem in ipsam gloriam operatur: non inquam sollicitos fuisse; ita ut nullius gratiæ daretur causa ex parte nostra: est enim vtriusque eadem ratio, quia gratia non esset gratia: Eo autem solo differunt, quo gratia & misericordia, quæ reprobis pro aliquo tempore, & opere datur ante mortem, prædestinatis per aliquam vitæ periodum usque ad mortem conceditur. Prædestinatorum itaque miseretur Deus vsquequo de hac vita decedant, reproborum vero pro aliqua tantum parte vitæ, vel opere aliquo ante mortem.

Aut prædestinationis, non solum debet re ipsa ad beatitudinem conducere, sed etiam ex voluntate illius præfiniri: atqui Deus non decreuit permittere peccatum eo fine, ut hominem per eius permissionem conduceret ad vitam æternam: ergo permissio non est effectus prædestinationis, Effectum autem prædestinationis definiendum esse ex tali fine manifestum est: quoniam prædestinatio est præparatio mediæ gratiæ in vitam æternam: & quamvis non debeat præcedere efficax voluntas huius finis, ut ex disp. 89. constat, necesse tamen est voluntatem simplicem circa vitam æternam nostro modo intelligendi priorem esse, & ex illa media omnia, quæ sunt effectus prædestinationis, præparari.

Permissio peccati non est ex intentione beatitudinis.

10.

Porro permissionem peccati non posse ex tali intentione procedere, sic ostendo, Ut Deus vellet permissionem propter beatitudinem, & ut beatitudinem hoc medio conferret prædestinatis, deberet etiam prius velle media alia, per quæ permissio conducere poterat ad vitam æternam. Nullus enim vult medium, quod remote vile est ad aliquem finem, nisi prius velit illud, quod proximè confert ad eundem finem; nam omne medium ea ratione eligitur, quia vile est ad finem, quare si per aliud confert, per illud etiam eligitur: cumque ordo intentionis contrarius sit ordini executionis, hoc est, illud sit prius in intentione, quod in executione posterius est, ut disp. 89. c. 6. notatum est, sit, ut medium quod proximè re ipsa confert ad finem, & in executione ipsa cæteris posterius est, prius eligatur, quam medium remotum. Si autem permissio peccati utilis est ad vitam æternam, remote solum, & non nisi per penitentiam conducit: hæc enim propius circa beatitudinem versatur, quam permissio. Si ergo Deus voluit permittere peccatum in prædestinato ex voluntate perducendi ipsum ad vitam æternam, debuit prius secundum rationem velle illi dare vitam æternam simplici saltem effectu. deinde ordine intentionis præfinire, ut ille penitentiam ageret, & cautiore peccato refurgeret: tandem, ut hæc duo prædestinatus consequeretur, debuit Deus velle permittere eum in peccatum labi: sed hunc ordinem Deus in intentione sua non habuit: ergo nec permisit peccatum ex in intentione perducendi aliquem ad vitam æternam. Deum autem non habuisse prius in sua intentione penitentiam prædestinati, quam permissionem peccati, patet, quia si penitentia prior fuisset in intentione Dei, Deus voluisset ex se ipso, & antecedenti voluntate, hoc est, nondum ex nobis oblata aliqua occasione, sed ante omnia opera nostra ad penitentiam aliquem vocare, siquidem penitentiam voluisset ante permissionem, & ante peccatum ipsum, antecedenti autem voluntate penitentiam Deus non voluit, imo nec velle potuit, sed potius consequenti, quæ est post opera nostra: ergo antequam vellet permittere peccatum, nullius voluit penitentiam, nec ad illam aliquem vocare.

Confirmatur testimonio Damasceni.

Præterea vocationem ad penitentiam, seu correctionem non esse primariæ intentionis Dei, & antecedentis voluntatis, sed sequentis perspicue tradidit Damasc. 2. de fide, c. 29. ubi sic loquitur: *Ac prius illud, antecedens voluntas, seu beneplacitum quod ex ipso manans: secundum autem, insequens voluntas, atque permissio à nostro vitio ortum ducens; atque huius*

quoque permissio duplex est genus; alterum dispensativum, & erudiendi vim habens, quod ad nostram salutem spectat: alterum à desperatione proficiens, quod ad extremam, certissimamque, ut iam diximus, penam tendit. Quibus verbis eruditionem, seu correctionem dixit esse consequentis voluntatis, (quam etiam permissionem appellat) eo quod iam vitium nostrum supponat; ad eandem voluntatem inquit pertinere penam peccati. Penitentia ergo, cum sit correctio, & eruditio, non potest esse primariæ intentionis Dei, sed secundariæ, & consequentis, quæ iam supponat peccatum, ac proinde etiam supponat permissionem illius. Quod etiam vult Deus peccatum permittere, ut facit, neque ex intentione penitentia, & correctionis; hæc enim debet esse primariæ. Liqueat igitur non fuisse se primariæ intentionis Dei sanare, & redimere & medicinam præparare: quia hæc non sunt bona simpliciter, sed bona (ut aiunt) in casu, supposita scilicet aegritudine, & captivitate, ac proinde non sunt primariæ intentionis, sed secundariæ.

Idem videtur docuisse Cyrillus lib. 2. ad Romanos, capite. De eo, quod Christus sanctificatus est, aliquantulum à principio, his verbis: *Condidit omnia Deus, ut essent & ut salutaria forent, quæ producit mundus & non esset in eis pharmacum mortis, nec infami regni imper terram. Penam ergo inferni, & pharmacum nullum Deus esse voluit ex se, & primariæ suæ intentione. Id quod de pharmaco etiam spiritualis mortis intelligere videtur Cyrillus. subdit enim: Invidia autem diaboli mors introiit in mundum. Remedia ergo peccati, & mortis spiritualis voluit Deus secundariæ intentione, postquam vidit invidia diaboli mortem, & peccatum in mundum introisse. Sicut etiam hæc tantum secundariæ intentione pharmacum corporalis aegritudinis esse voluit.*

Deinde ratione id ipsum probatur. Primum, quoniam si Deus primariæ voluntate, & ex se vellet hominis penitentiam, vellet necessario peccatum, sine quo penitentia intelligi non potest. Nam qui ex se aliquid vult, ea etiam, quæ essentialiter ad id requiruntur, necessario vult; sic se habet peccatum ad penitentiam, non modo secundum esse materiale, & positivum actus, sed etiam se ipsum malitiam & formale peccati: quia prout tale est, ipsum detestatur: at peccatum Deus velle non potuit; ergo nec penitentiam ex seipso primariæ voluntate prædestinare, sed secundariæ, prævisam culpam ex nobis ipsis, ac proinde præcedente permissione cadendi in illam: prius igitur voluit permittere, quam per penitentiam peccatum deleri: quare neque ad hoc quod donaret penitentiam, & vitam æternam, permittere potuit peccatum; quinimo Deus ex seipso antecedenti voluntate nollet esse penitentiam, & alia bona, quæ necessario supponunt peccatum, quia velle non potest ipsum peccatum.

Deinde alia ratione idem sic ostendo. Si Deus ex se ipso antecedenti voluntate efficaciter decrevisset penitentiam alicuius, vel remedium afferre peccato, non posset non sequi peccatum, quia supposita illa voluntate afferendi remedium, non maneret in eius potestate, non peccare: cumque hæc sit necessitas antecedens, tollere omnino libertatem, ut disp. 59. ca. 3. monstrabimus. Quare falsa est eorum sententia, qui dicunt, Deum prius efficaciter decrevisse se communicare creaturis optimis.

optimo modo hoc est, per incarnationem, & in remedium peccati, deinde permisisse peccatum Adami hac intentione, ut remedium afferret, Prudentis enim, & pii iudicis, aut medici non est permittere seditiones, & morbos intentione afferendi remedia: morborum namque curatio secundaria intentionis, & consequentis esse debet.

14. *17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*
 Contra prædicta obicit aliquis *Aug. lib. de nat. & grat. c. 28. vbi ait: Deserit aliquantum Deus, unde superbi, ut scias non tui, sed eius esse, & discas superbus non esse.* Afferens vero in confirmationem testimoniū i. ad Tim. i. subiungit: *Quidem tradantur Satane, ut discant non blasphemare, hoc est, permittuntur labi in peccatum, ut cautiore resurgant.* Clarius libro de gratia, & libero arbitrio, capitulo vigesimo, postquam adduxit illud Davidis, secundo Reg. 16. *Dimittite eum (scilicet Semei) ut maledicat quia Dominus dixit illi, subdidit, nec causa tacita est, cum ei Dominus isto modo dixerat maledicere David, ut videat (inquit) Dominus humilitatem meam, & retribuatur mihi bona pro malo.* Et *Gregor. homil. 25. super Euang. ait, lapsum Petri fuisse à Deo permillum, ut in sua persona disceret, aliorum misereri; quia aliorum pastor futurus erat.* Sentiant igitur hi Patres ex intentione alicuius correctionis, aut patientie permisisse Deum peccata prædestinatorum.

Respondet hos Patres vulgari modo fuisse locutos, ut Scriptura quoque confutatur cum euentum bonum, qui occasione peccati futurus est, tanquam finem exprimit, & de ipso, ut de causa finali, loquitur, cum tamen reuera bonum, quod Deus ex peccato elicit, non sit primariæ sue voluntatis, ut probatum est, & potius Deus, præuiso iam peccato, eliciat bonum; quam ut eliciat bonum; permittat peccatum: sicut optime expressit *Aug. 11. de Genesi ad lit. cap. 22. vbi querit, quare dæmon à Deo creatus est, cum sciret eum futurum, & respondet his verbis: Non quia ipsum malum condidit, sed quia, cum sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum, ut boni noceret, creauit eum ad hoc, ut de illo bonum prodiret.* quali dicat, non ea intentione ipsum condidit, & permisit labi in peccatum, ut bonis prodiret tentans eos; sed cum sciret bonis aduersarium fore decreuit tentationes illius bonis esse profuturas; quod est secundariæ intentionis.

Præterea arguet quisquam contra idem hoc modo. Quemadmodum Deus vult permittere peccatum eo fine, ut ostendat diuitias gratiæ suæ prædestinatis, sicut disp. 95. cap. 9. dicemus; nec ob id necessario debet velle peccatum, quod sequitur ex permissione, sic etiam posset Deus, velle permittere peccatum ea intentione, ut quis postea cantior resurgeret, & vitam æternam consequeretur, abique eo, quod veller peccatum. Respondet diuersam esse rationem. Nam penitentia, seu correctio necessario supponit peccatum tanquam materiam necessariam, circa quam versatur, & ideo volens correctionem, antequam videat futurum peccatum, debet necessario velle peccatum fore, quocirca, ne asseramus, Deum velle peccatum, necesse est, dicamus, prius vidisse peccatum, ut deinde statuere veller penitentiam, & correctionem illius: at vero cum Deus permittit peccatum, ut ostendat diuitias gratiæ suæ prædestinatis, non ostendit illas ex peccatis reprobatorum, nec illa sunt materia, circa quam versatur ostensio diuitiarum Dei: sed eo ostendit Deus diuitias suas, & liberalitatem erga præde-

stinatos, quod cum posset ipsis negare congrua auxilia, quæ reprobis negauit, & ita posset eos permittere in peccatum labi, non negauit, nec permisit. Ex negatione ergo auxilij, proxime ipsis ostendit diuitias, & liberalitatem erga ipsos, & ita potest ostensio hæc esse primariæ intentionis, absque eo quod Deus velit peccatum, non autem penitentia, aut correctio peccati, quæ circa ipsum peccatum tanquam circa materiam necessariam versatur.

At obicit quis in hunc modum: non potest Deus ostendere diuitias suas vasis misericordiæ ex eo, quod reprobis illas non concessit, nisi prius ostendat prædestinatis peccatum reprobatorum: inde enim, & non aliunde colligere poterit prædestinatus, reprobis fuisse negatam gratiam congruam, quam sibi Deus concessit: notitia autem, & gratiarum actio, quæ pendet ex notitia peccati, non potest esse primariæ intentionis Dei; sicut neque dolor: quia supponit necessario peccatum. Respondet, licet prædestinati in hac vita non nisi ex euentu peccati possint cognoscere liberalitatem Dei erga seipsos, quod ipsis concessit eam peculiarem gratiam, quam reprobis negauit; tamen hoc est per accidens ratione statutus, & ita notitia hoc modo, & gratiarum actio inde orta in hac vita non fuit primariæ intentionis, ut argumentum probat. At vero cum in alia vita Beatis Deus ostendat, hanc peculiarem gratiam, non ex euentu peccati, sed ex ipsa natura gratiæ, & congruitate cum arbitrio, quam scientia intuitiva Beatis reuelabit: potuit hæc notitia, & gratiarum actio inde orta, cadere sub primariam intentionem Dei: cum non supponat per se, & suapte natura peccatum ipsum villo modo tanquam materiam, vel occasionem.

Ex eadem doctrina licet colligere, infamiam, quæ oritur ex peccato, vel laborem corporalem, & alia mala pœnæ, non esse primariæ intentionis Dei, & ita cum dicimus, posterius peccatum esse pœnam prioris, ratione effectus inde procedentis, non debemus asserere esse pœnam à Deo præordinatam; etiam post præuisionem prioris peccati: nam post præuisionem prioris, non potest Deus velle permittere posterius peccatum ea intentione, ut infamia, vel alius labor ex illo oriatur. Hæc enim cum supponant necessario ipsum peccatum, & peccatum non sit à Deo præfinitum, non potest ipse velle infamiam ex illo profectam, antequam videat post permissionem posterius peccatum: quo viso placet illi infamia, quæ peccatum ipsum consequitur, & eam in pœnam prioris probat; & hoc est, ut habeat rationem pœnæ prioris peccati.

CAPVT III.

Iustificatio, & merita, quæ peccato mortali impediuntur quodammodo sunt effectus prædestinationis, quodammodo non.

18. *19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.*
 Quamquam merita vitæ æternæ, & iustificationes, quæ peccato mortali interruptuntur, sunt gratiæ effectus; prædestinationis tamen effectus esse nequeunt, quatenus à Deo primum fieri decernuntur, sed qua ratione post peccatum commissum definit Deus ea omnia restaurare sequenti aliqua iustificatione, quæ iam amplius non sit peccato interruptenda. Et ratio est manifesta.